



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

2. Tria signa sibi conjuncta apud Astrologos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

SYMBOLUM 1.

Tres stellæ in capite arietis, quæ sunt symbolum literæ D. quæ significat Deum. Pierius lib. 47. cap. 33.

Signiferi [a] princeps aries duxque agminis audis,
Inde tuus martis nomina mensis habet.

Cornigerâ quod nempè geris tria sidera fronte
Signa tibi primum jure dedêre locum.

Interea signis tacitos urgentibus annos

Ad Triadem properat [b] concita vita gradu.

(a) Ariès est primum signum in Zodiaco. (b) quot dies vi. a hic in præsentem peragimus, quasi in itinere ad locum propositum tot passibus appropinquamus. Ait noster Pincharius Vest. Nupt. lib. 1. cap. 2. ex S. Greg.

SYMBOLUM 2.

Astrologi signa inter cælestia constituunt tria sibi conjuncta, scilicet leonem, Virginem, libræ, non obscuram SSS. Trinitatis imaginem.

Sunt tria signifero cælestia signa sub arcu,
Ordine nexa sibi juncta situque loci.

Addita tergeminis sunt nota vocabula signis,

Quæ referant Trini symbola clausa Dei.

Est Genitor virtute leo; de Virgine Natum

Virgo refert: libræ pondera, Pncuma notet.